

IOANNES PAVLVS PP-II

ad perpetuam rei memoriam.

~ Maiorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis ~ Io 15, 13. Venerabilis Dei Serva & Maria Sagrario a Sancto Aloisio Gonzaga, quae saeculari nomine Elvira Moragas Cantarero appellabatur, suam penitus vitam pro Eo proximoque ad sui usque sacrificium huic Jesu mandato aequa-

vit. Hispania in oppido quodam, quod Lillo vocant Toletanae urbis, die VIII mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXI, Richardo & Moragas Ucelay, pharmacopola, atque Isabella Cantarero Vargas parentibus orta est; ab his, qui veram ecclesiam domesticam efficiebant, solidam christianam humanamque institutionem recepit. Eucharistia perinde ac in Virginem Mariam pietas cardo fuerunt eius existentiae. Anno MCMV Matriti, quo eius familia sese contulerat, in pharmaceutica disciplina lauream est consecuta, quam artem christiano caritatis famulatusque sensu in indigentes potissimum complures annos exercuit. Sed ipsa se apud moniales Ordinis Discalceatorum B. Mariae V. de Monte Carmelo Deo devovere studebat. Itaque anno MCMXV Sanctae Annae et Sancti Iosephi coenobium Matriti ingressa est ibique anno MCMXX perpetua vota nuncupavit. Varia munia exinde sustinuit, inter

quae antistitae noviciarumque magistrae officium tuita est, plane in se patefaciens perfectam in oboedientia servitioque Carmeli vitam. Dei cruci affixi sponsa, ipsius sortem experiri voluit. Cum bellum exarsit civile, annis MCMXXXVI-MCMXXXIX, itemque adversus Ecclesiam eiusque filios persecutio, Dei Serva, tunc temporis antistita, operam suam in sorores tuendas omni cura maternoque amore contulit. Die XIV mensis Augusti anno MCMXXXVI capta est et in carcerem delata, ubi nonnullae eius communitatis sorores custodiebantur. Firmiter tranquilleque se gessit. Genibus nixa oravit seseque ad mortem comparavit, cum Virginem Sanctissimam blasphemarent persecutores. Abscente caelo, die XV mensis Augusti anno MCMXXXVI in loco ~Pradera de San Isidro~ apud Matritum, manuballista necata est, quae usque ad finem fidelis mansit suae consecrationi. Eius testimonium verum habitum est martyrium atque opinio haec an-

norum decursu increbuit, ideo & Matritensis
& Archiepiscopus, anno MCMLXII, Beatificationi
seu declarationis martyrii Causam inco-
havit. Die VIII mensis & Aprilis anno MCMXCVII,
& Nobis coram Decretum super & Martyrio
prodiit. Idcirco statuimus ut Beatificationis
ritus Romae, die X mensis & Maii anno MCM-
XCVIII, in Petriano foro ageretur. Hodie igi-
tur, in foro ad Vaticanam Basilicam Sanc-
ti Petri spectante, inter & Missarum sollem-
nia hanc ediximus formulam: ~ & Nos vo-
ta Fratrum & Nostrorum & Anto-
nii & Mariae Cardinalis Rouco
Varela, & Archiepiscopi & Matri-
tensis, & Nasrallah Petri Cardi-
nalis Sfeir, Patriarchae & Antio-
cheni & Maronitarum, et Franci-
sci Iosephi Pérez y Fernández -
Golfín, Episcopi & Xetafensis, nec-
non plurimorum aliorum Fra-
trum in Episcopatu multorum -

que christifidelium explentes, de Con-
gregationis de Causis Sanctorum
consulto, Auctoritate Nostra A-
postolica facultatem facimus ut Ve-
nerabiles Servi Dei Rita a Virgine
Perdolente Pujalte Sánchez et Fran-
cisca a Corde Jesu Aldea Araujo,
Maria Gabriela Hinojosa et So-
ciae, Maria Sagrario a Sancto
Aloisio Gonzaga Elvira Mora-
gas Cantarero, Nimatullacius Jo-
sephus Hassab Al-Hardini et Ma-
ria Maravillas a Jesu Pidal y
Chico de Guzmán Beatorum nomi-
ne in posterum appellentur eorum-
que festum die ipsorum natali: Ri-
tae a Virgine Perdolente Pujalte
Sánchez et Franciscae a Corde Jesu
Aldea Araujo, die vicesima men-
sis Julii; Mariae Gabrielae Hino-
josa et Sociarum, die decima octa-

va mensis Novembris; Mariae
Sagrario a Sancto Aloisio Gon-
zaga Elvirae Moragas Cantare-
rō, die decima sexta mensis Au-
gusti; Nimatullacii Iosephi Kas-
sab Al-Hardini, die decima quar-
ta mensis Decembris; et Mariae
Maravillas a Jesu Pidal y Chi-
co de Guzmán, die undecima men-
sis Decembris in locis et modis iure
statutis quotannis celebrari possit.
In nomine Patris et Filii et Spiri-
tus Sancti. ~ Quae autem his Litteris decre-
vimus nunc et in posterum rata et firma esse
volumus, contrariis rebus minime obstantibus.
Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub
anulo Piscatoris, die decima mensis Maii,
anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De mandato Summi Pontificis

+ Angelus Card. Sodano

